

ludo exponere omnem illam summam quæ juxta suam conditionem, seu juxta assignationem sibi factam a patre, posset licite ludere per totum annum; et si illam totam unico ludo, cum animo non ludendi iterum in toto anno, amiserit, non tenetur victor illam restituere, dummodo sciat non amisisse antea cum aliis illam, vel aliam majorem summam, quia in tali casu filius renuntians recreationi lusus pro reliquo anni tempore, ut semel unico illo ludo majorem habeat, licite totam illam summam semel unico ludo exponit, et sic victor illam totam summam semel unico ludo licite lucratur, adeoque non tenetur illam restituere. Sanchez, lib. 1. *Consil.*, cap. 8, dub. 7, n. 7; Lugo, tom. II, disp. 31, n. 23; Diana, part. VII, tract. 9, resol. 10; Rosignol., *loc. cit.*, n. 19, et alii passim. (23. Si autem victor sciat talem filium jam illo anno amisisse cum aliis totam illam summam, tenetur ad restitutionem; quia sicuti filius nequit ultra illam summam licite ludere pro illo anno, ita neque victor ultra illam summam potest ab illo aliud licite lucrari, adeoque si sciens priorem amissionem, adhuc cum ipso ludat et lucretur, tenetur ad restitutionem, quia in tali casu lucratur id quod respectu filii ludentis erat alienum, nec poterat ludo exponere. Sic doctores citati. (24. Si vero ipsemet victor successive ludens cum tali filio supra eam summam scienter lucretur, non tenetur restituere totum lucrum, sed solum excessum supra illam summam quam filius ludere poterat; quia quoad illum solum excessum vitiat contractus seu ludus. Lugo, *l. c.*, n. 23; Rosignol., *l. c.*, n. 21; Sanchez *l. c.*, n. 7, cum pluribus aliis ibi citatis contra Alcozer *L. de ludo*, c. 10, et quosdam alios affirmantes in tali casu restituendum esse totum lucrum, quia dicunt ipsi totus ludi contractus redditur tunc vitiosus. (25. Si tamen victor scire non possit an talis filius totam vel partem dictæ summæ jam cum aliis amiserit, necne; tunc retinere potest lucrum usque ad illam summam quam scit ludere potuisse; quia melior est conditio possidentis, Lugo, *loc. cit.*, n. 22; Sanchez, *loc. cit.*, dub. 7, n. 6, cum aliis ibi citatis.

(26. Filiusfamilias potest licite exponere ludo licito bona castrensia, et quasi castrensia: et si ea amittat, non sunt ei restituenda; filius enim familias, quoad hujusmodi bona est sui juris, et habet plenum eorum dominium independentem a patre, et sic potest ipse licite exponere ludo, et collusor ea licite lucrari sine onere restitutionis. *Communis*.

(27. Filiusfamilias regulariter non potest ludo exponere bona adventitia absque patris consensu; et si exponat et perdat, potest pater ea repetere. *Communis*. Et ratio est quia filius familias quod ad dicta bona, nec habet administrationem, nec usumfructum, cum utrumque maneat apud patrem, quoad usque vixerit; adeoque sine consensu patris nequit ea ludo exponere, et si exponens amittat, potest ea pater repetere, cum non

sit suo jure ususfructus et administrationis invitus spoliandus.

(28. In tali autem casu, quo pater illa bona repetat, filius obligatur naturaliter de evictione erga suum victorem, cui rem illam tradiderat. Et ratio est quia filiusfamilias in suis contractibus privata auctoritate in initis obligatur naturaliter; cum enim fidejussores minorum et filiorum familias pro eorum contractibus obligentur civiliter, leg. fin. ff. *De jurejur.* et leg. *Marcellus*, ff. *De fidejussoribus*; debent iidem minores et filii familias obligari saltem naturaliter; nam deficiente principali obligatione, non potest subsistere accessoria, adeoque ut subsistat accessoria, debet principalis saltem naturaliter obligare; l. *Cum lex*, ff. *De fidejuss. et mandat.*, et l. *Naturaliter*, ff. *De condit. indebit.* Colligitur etiam ex l. *Si pupillus*, ff. *Ad leg. Falcid.* ubi dicitur pupillum ex mutuo accepto obligari naturaliter, et ex l. ff. *De noval.*, ubi dicitur pupillum ex promissione naturaliter obligari. Sic cum pluribus aliis Rosignol., *l. c.*, n. 7.

(29. De jure tamen communi positivo non obligatur civiliter ad illam evictionem, arg. *Inst. de auctoritat. tutor.*, initio, et § *Pupillus*, *Instit. de inutil. stipul.*, ubi dicitur quod minores et filii familias possint valide contrahere in suum commodum, non tamen in suum incommodum, et meliorem suam facere conditionem, deteriorem vero non. Sic Rosignolus, *loc. cit.*, num. 8, et alii contra Lessium, lib. II *De justit. et jur.*, cap. 26, dub. 5, num. 35; et sic etiam habetur de jure municipali variarum provinciarum et regnorum, et signanter ducatus Mediolani, ubi est expresse statutum eos non posse contrahere, et si contraxerint, eorum contractus non valere et nullimode obligare.

(30. Filiusfamilias exponens ludo bona paterna, quæ, ignorante collusore, alienare non potest, et cum illis lucrans notabilem summam, tenetur illam summam lucratam restituere; Sanchez, lib. VII *Moral.*, cap. 18, num. 86; Amicus, tom. V, *De justitia*, disput. 28, sect. 3, num. 36; Lopez, *Instruct. conscient.*, c. 16, § *Porro circa ea*; Rosignol., *loc. cit.*, num. 17; Sporer, tom. II, tract. 6, in *Complement. VII præcept. Decal.*, cap. 6, sect. 6, num. 71, et alii passim. Et ratio est clara, quia de ratione ludi est, ut in eo uterque ludens sit æqualis conditionis in periculo perdendi, et spe lucrandi; talis autem filius iniit contractum ludi inæqualem, dum vincere et lucrari voluit, sed perdere non potest, cum id quod ludo exposuit non esset suum, sed patris; adeoque ipsam summam lucratam restituere debet. (31. Si autem collusor fuerit conscius quod talia bona essent patris, et non alienabilia a tali filio, tunc talis filius non tenetur ei restituere dictam summam lucratam, quia collusori scienti et volenti nulla facta est injuria. Ita Sayr., Henriquez, Azor, Bonacina apud Dianam, part. I, tract. 7, resol. 67; Sporer, *loc. cit.*, n. 2; Tamburin., lib. VIII, tract. 2, cap. 9, § 5, n. 18, disp. 4, dub.

2, n. 12; Navarr. in *Manual.*, c. 19, n. 11; Angelus, verb. *Ludus*, n. 8; Silvester, cod. verb., q. 17, et alii.

(32. Uxor, inscio et invito marito, regulariter loquendo, non potest exponere ludo bona ejusdem mariti; nec bona dotalia et communia: et si exponat et amittat, sunt a victore restituenda. *Communis*. Uxor enim quoad bona mariti, nec habet dominium, nec usumfructum et administrationem; et quoad bona dotalia, licet habeat dominium directum, non habet tamen usumfructum et administrationem, sicuti nec habet quoad bona communia; adeoque non potest, inscio et invito marito, ea alienare et ludo exponere et consequenter victor tenetur ea restituere, quia revera acceptat rem alienam invito domino. (33. Et si exponendo ludo talia bona quæ, ignorante collusore, alienare non potest, notabilem summam lucretur, tenetur eam restituere; secus autem si collusor fuerit conscius quod talia bona essent mariti, et non alienabilia ab uxore, propter rationem adductam de filiofamilias, n. 30 et 31. Sic doctores ibi cit.

(34. Notanter autem fuit dictum regulariter loquendo, quia uxor in pluribus casibus potest similia bona moderate ludo exponere, inconsulto et etiam irrationabiliter invito marito. Potest enim uxor de illis bonis insumere in ludis illam moderatam summam et quantitatem quam in ipsis et aliis honestis recreationibus solent insumere aliæ uxores similis conditionis, quoad statum et facultates, ut in simili de filiofamilias fuit dictum supra n. 21, et sic tenent Lugo, tom. I, disp. 16, sect. 4, n. 64; Diastillus, lib. II *De just.*, tract. 18, disp. 5, dub. 9, n. 19 et seq.; Hurtad., *De just.* disp. 9, difficult. 9; Molina, tract. II *De just.*, disput. 520; Amicus, tom. III, *De justitia*, disp. 28, sect. 4, n. 54; Rosignol., *l. c.*, § 10, n. 3, et alii satis communiter; sic etiam potest uxor ludis exponere ea quæ sua privata industria et labore acquirit post præstita marito et domui debita, et consueta obsequia; item ea quæ maritus eidem concedit ut ornatio et complior procedat, si ipsa restrictius vivendo, aliquid subtrahat. Item a fortiori potest uxor ludis exponere ea quæ maritus ipsi concedit, ut pro libito expendat. Molina, cit. tract. 2 *De just.* disp. 250; Azor., par. III, lib. V, cap. 26, quæst. 10; Villalobos, in *Summa*, tom. II, tract. 28, diff. 5, n. 3; Rosignol., *l. c.*, n. 3, et alii passim.

(35. Uxor potest de jure communi ludis exponere, inconsulto et invito marito, bona sua patrimonialia non data in dotem, et bona paraphernalia. *Communis* ac certa. Uxor enim quoad hujusmodi bona habet de jure communi plenum dominium, usumfructum et liberam administrationem independentem a marito, adeoque potest independentem a marito ea ludis exponere sicuti potest pro suo libito de ipsis disponere.

(36. Ludens volens plus vincere quam possit perdere peccat, et si plus vincat uno solo depositionis jactu et cum una sola persona tenetur illud plus restituere; secus

autem si successive diversis jactibus aut lusibus, aut uno solo jactu cum diversis simul exponentibus seu colludentibus. Si enim v. gr. Paulus non habet seu non potest exponere nisi duos florenos, et ludat ac si posset exponere quatuor, sicque primo jactu lucretur quatuor a solo Petro, facit injuriam et tenetur ei restituere duos, quia est tunc manifesta inæqualitas contractus, si solum possit perdere duos florenos et velit una vice seu uno solum jactu ab uno solo collusore lucrari quatuor. Si autem successive diversis jactibus vel lusibus aut etiam uno solo jactu exponat Paulus cum Petro, et aliis tribus colludentibus, et singuli exponant duos florenos, poterit Paulus suis duobus florenis unico jactu lucrari octo, id est duos a singulis, quia suos duos etiam exposuit quadruplici periculo jacturæ apud singulos, adeoque licite potest ludere cum spe etiam ab omnibus quatuor colludentibus lucrandi, et si lucretur, potest retinere. *Communis* cum Sporer, *l. c.* n. 70.

Rom. theologi nota.

Si non potest cum eadem persona plusquam duos florenos ludo exponere, quia non potest plus velle vincere, quam perdere possit: qua ratione poterit cum quatuor aut pluribus uno jactu duos illos exponere animo lucrandi non duos, sed octo vel decem? Si primum non potest, nec alterum.

Responsio auctoris.

Sed bona venia theologi jam a me est ibi tradita manifesta ratio, quare non possit in primo casu et possit in secundo; quia in primo casu est manifesta inæqualitas contractus, si Paulus possit solum perdere duos florenos cum solo Petro, et velit unico jactu ab ipso solo collusore Petro lucrari quatuor. Si autem unico jactu exponat Paulus duos florenos cum Petro et aliis tribus vel quatuor colludentibus, et singuli exponant solummodo duos florenos, poterit Paulus suis duobus florenis unico jactu lucrari octo aut decem, id est duos a singulis, quia duos suos etiam exposuit quadruplici aut quintuplici jacturæ apud singulos unico jactu, quia in hoc secundo casu adest manifesta æqualitas; quia sicuti illi quatuor aut quinque colludentes cum suis duobus respective expositis florenis possunt singuli singillatim unico jactu lucrari illos duos florenos expositos a Paulo, ita etiam Paulus poterit unico jactu lucrari ab illis singillatim suos duos expositos florenos; sicuti enim possunt singuli singillatim unico jactu vincere duos expositos florenos Pauli, poterit pariter Paulus unico jactu vincere illos similes duos florenos a singulis singillatim expositos. Militat enim inter ipsos omnimoda æqualitas et par ratio, et ubi eadem est ratio, eadem est etiam legis dispositio; L. *Ideo 27*, ff. *De legibus*, l. *Illud 32*, ff. *Ad legem Aquiliam*, et cap. *Inter corporalia 2*, De translat. episcop., tum quia talis inter ipsos intercedit expressus seu tacitus contractus, ut singuli vicissim possint sic perdere aut lucrari et

contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur; cap. *Contractus* 83. *De reg. juris*, in 6, l. *Contractus* 23, ff. *De diversis reg. juris*, l. *Depositum* 1, ff. *Deposit.*, § 6. Nec cuiquam in tali casu fit injuria quia scienti et consentienti non fit injuria neque dolus; textu expresso in *c. Scienti* 27 *De reg. juris*, in 6, l. *Nemo videtur* 143, ff. *De diversis reg. juris*, ibi: « Nemo fraudare videtur eos qui sciunt et consentiunt. »

(37. Ludens cum animo deliberato non solvendi si perdat, et id collusor ignoret, non potest quidquam lucrari, atque ideo nec retinere id quod lucratur, quia contractus est inæqualis, cum alterum fraudulenter decipiat in ratione substantiali ludi, quod si alter sciret nollet cum ipso ludere. *Communis*. (38. Si autem collusor sciverit talem ludentem non habere animum solvendi, et nihilominus luserit, potest lucrari et retinere quia lusor censetur consensisse et remittere, Tamburin., lib. viii, tract. 2, cap. 9, § 1, n. 17; Sporer, l. c., n. 69; La Croix, lib. iii, part. ii, n. 1076, et alii. (39. Si vero etiam alter colludens similem animum non solvendi habuit, tunc qui vincit, potest retinere lucrum, quia decipiendo se mutuo compensans injuriam. Tamburin. Sporer et La Croix, l. c., et alii.

(40. Ludens bona fide cum fure, et rem furtivam in individuo lucrans, cognita veritate, tenetur ipsam rem restituere domino, et non furi collusori, quia dominium rei ablatae semper manet apud dominum. *Communis*. (41. Si vero lucretur non ipsam rem furtivam in individuo, sed pretium ipsius rei jam venditæ, potest hoc lucrum retinere, si fur sit aliunde adhuc potens restituere, quia fur erat dominus hujus pretii; at si perdit hoc pretio, sit fur impotens ad restituendum, tunc lucrans tenetur illud restituere, quia tunc contractus ludi reipsa fuit nullus. Cum enim illud ipsum pretium necessario fuerit a fure restituendum domino, non potuit illud tanquam quid alienum a fure valide exponi ludo. Tamburin., lib. viii *Decalog.*, tract. 2, cap. 9, § 1, n. 30; Sporer, *loc. c.*, n. 76; La Croix, l. c., n. 1078; Bonacina, disp. 2, *De restitut.*, quæst. 2, prop. 1, cum aliis ibi citatis contra alios oppositum velut probabile tenentes.

(42. Ludens pecunia furtiva aut quomodo-cunque aliena, si quid lucretur potest ipsum retinere, quia est fructus propriæ industriæ et artis, ideoque suum; dummodo tamen habeat aliquid proprium quod tradat, si collusor vincat, alioquin contractus esset nullus, cum nihil ludi periculo exponeret quod collusor acquirere posset, ut postulat ratio pro servanda requisita æqualitate inter colludentes. Lugo, *loc. cit.*, n. 13; Sporer, l. c., n. 79; Molina, Sanchez cum La Croix, l. c., n. 1076, contra Trullench., Villalob., Dianam, dicentes lucrum nequidem tunc fieri talis ludentis. (43. Si quis, deficiente sibi in ludo pecunia, eam clam a colludente subripit et eam postea lucretur, si non habeat quid proprium pro facienda debita restitutione talis pecuniæ furto subreptæ, tenetur

restituere lucrum; si autem habet quid proprium, unde restituat, lucrum sibi acquirit et retinere potest æque, ac si exposuisset ludo pecuniam ab aliquo tertio furto ablatam, cum sit idem casus, sive pecunia sit furto ablata ipsi colludenti, sive alteri. Sanchez et Molina cum Sporer, l. c., n. 79.

(44. Injuste per metum gravem, aut violentiam tractus et coactus ad ludum, potest lucrari et retinere lucrum; trahens autem injuste non potest lucrari, et si lucretur, debet sic injuste tracto restituere. Sic Lugo, tom. II, disp. 31, num. 28 et 30, ubi pro hac sententia citat S. Thomam, S. Antoninum, Abulensem, Henriquez, Emman. et alios plures quos affert et sequitur Sanch., *loc. cit.*, dub. 11, num. 1 et 3, ubi hanc tradit ut certam et communem. Salas, *Tract. de ludo*, dub. 6, num. 2, cum pluribus ibi relatis; Lessius, lib. ii, cap. 26, n. 9, et alii plures contra Victoriam, Lopez, Alcozer, Franciscum Garciam et alios volentes non solum debere restituere lucrum eum, qui injuste traxit, sed etiam qui injuste tractus fuit, si ipse lucretur; et contra Molinam disp. 516, Franciscum Garciam *De contractibus*, part. ii, cap. 19, et alios dicentes neutrum teneri restituere lucrum, licet trahens cum violentia injusta peccet contra justitiam.

(45. At nostram sententiam vocat communem et veriolem Lugo *loc. cit.*, n. 28, ibique eam solide et late probat dicens, obligationem restituendi lucrum injuste tracto seu coacto non oriri in injuste trahente, seu cogente ex inæqualitate ludi, sed ex injusta læsione, cum sic trahens et cogens per violentiam injustam alium ad ludum, inferat ei gravem injuriam et fiat reus totius damni, quod illi ex tali violentia subsequitur, adeoque debeat eum reddere omnino indemnem, sicuti, ut affert ibi exemplum, si Titius v. g. per metum gravem injuste cogat Caium ad ei vendendum equum, etiamsi pretium justum solverit; si tamen Caius ob eam causam coactus sit postea emere alium equum cariori pretio, debet Titius hoc damnum ei resarcire, quod sua causa est passus, non quidem rescindendo contractum, qui mortuo jam fortasse equo, rescindi non potest, sed reddendo eum indemnem a damno, quod ex Titii injuria seu injusta coactione est ei subsecutum.

(46. In ludo licitæ et permissæ sunt aliquæ deceptiones, seu simulationes, consistentes præcisè in artificio ludentis, absque eo quod vitient naturam ludi et injuste lædant colludentem. *Primo* igitur qui scit se meliorem ludum habere, potest metum simulare et formidinem, ut adversarius audacior factus sponsonem augeat, et ipse eam acceptando majus lucrum reportet; *secundo*, qui scit se meliorem ludum habere, et securus est jam de victoria, potest augere sponsonem, ut quid magis lucretur; *tertio*, qui scit se inferiorem ludum habere, atque ideo esse amissurum, potest simulare habere ludum majorem et augere sponsonem, ut alter perterritus recuset acceptare sponsonem, et relinquat ipsi quod jam au-

tecedenter ad illam sponsonem appositum erat; *quarto* qui videt adversarium plures chartas accipere quam debeat, potest tacere, ut propter ipsum excessum debeat postea perdere quod appositum est; *quinto* denique licitæ sunt generaliter omnes illæ deceptiones et simulationes quæ, secundum leges illius ludi quo luditur, communiter permittuntur; in dubio autem standum est iudicio peritorum. Sic communiter doctores.

(47. Sunt autem in ludo prohibitæ deceptiones, et fraudes sequentes. *Primo*, si quis designet chartas notis aliquibus occultis, vel quid simile efficiendo, ut eas a tergo cognoscat; unde hic tenetur lucrum restituere, et id quod alter lucratus fuisset, nisi illas fraudes commisisset. Trullench., in *Decalog.*, t. II, lib. vii, c. 27, dub. 2, n. 4; Regin., in *Praxi*, t. I, l. x, c. 29, n. 385; Amicus, t. IV. *De justit.*, disp. 28, sect. 4, n. 27; Rosignol, l. c., n. 4, et alii passim.

(48. *Secundo*, si quis accuset plura puncta ac habeat, et hac ratione lucretur, cæteroquin amissurus; unde hic tenetur restituere, nedum lucrum hac fraude reportatum, sed etiam aliud æquivalens, quod ipse certo amisisset, si alter deceptus excedebat in punctis. Diana, par. vii, tract. 9, resolut. 47; Rosign., *loc. c.*, n. 3. Dicastill. *De just.* lib. ii, tract. 18., disp. 5, dub. 3, n. 22; Alcozer *Tract. de ludo*, cap. 28, dub. 1, et alii passim.

(49. *Tertio*, si quis dolose primam manum surripiat in ludo sibi non competentem, sed alteri, et ex illa dolosa subreptione lucrum acquirat, cæteroquin non acquisiturus, unde hic tenetur restituere, nedum totum lucrum, sed etiam id quod ipse certo esset amissurus, nisi illam manum dolose usurpasset. Diana, part. vii, tract. 9, resolut. 43; Rosignol., *loc. cit.*, n. 9; Dicastill. *De justit.*, lib. ii, tract. 18, disp. 5, dub. 3, n. 14 et alii.

(50. *Quarto*, si quis ex collusoribus data opera se constituat in loco, ubi chartas adversarii videre possit, et de facto videat; unde si hic ex tali visione victoriam reportet, cæteroquin non reportaturus, tenetur lucrum restituere. Diana part. vii, tract. 6, resolut. 50; Sanchez, in *Opus*, tom. I, lib. i, cap. 8, dub. 12, n. 9, cum aliis ibi citatis. Rosignolus, *loc. cit.*, n. 5; Trullench., in *Decalog.*, tom. III, disput. 31, n. 37, et alii.

(51. *Quinto*, si quis ludens ex aliquo circumstante secreto admonetur de statu alterius collusoris facientis seu augmentis sponsonem: unde hic si ante monitionem decreverat non acceptare, tenetur ad restitutionem, et in ejus defectu tenetur ipse secretus monitor; si vero ante talem significationem seu monitionem anceps erat utrum acceptaret, vel non, tenetur restituere solum quoad partem, et non quoad totum, et in ejus defectu tenetur ipse secretus monitor. Si autem ante talem significationem jam absolute et vere decreverat acceptare, ad nihil tenetur. Trullench., in *Decalog.*, tom. II, l. vii, c. 27, dub. 2, n. 4; Dicast. *De just.*, l. ii, tract. 18, disput. 5, dub. 3,

n. 31; Molfesius, in *Summa*, tom. II, tract. xii, c. 21, n. 58; Rosignol., l. c., n. 6; Sayrus in *Clavi regia*, l. ix, c. 12; n. 23; La Croix, lib. iii, p. ii, n. 1803.

(52. *Sexto*, si quis ludens alteri collusori non advertenti minus solvat quam perdidit; unde hic tenetur absolute restituere reliquum quod non solvit et vere perdidit. Diana; p. vii, tr. 9, resolut. 33. La Croix, l. c., n. 1084, et alii communiter.

(53. An autem ludens peccet contra justitiam et teneatur ad restitutionem, si non moneat collusorem errantem contra se in numerandis punctis, vel in non accipiendo primam manum sibi competentem in ludo, et ideo ipse perdat, et ille lucretur? Affirmant Navarrus, Ludovicus Lopez, et alii apud Sanchez, *loc. cit.*, dub. 14; Azorius, par. ii, lib. v, cap. 23, quæst. 3; Philarchus. *De offic. sacerdot.*, tom. II, p. v, lib. v, cap. 2; Lessius, lib. ii, cap. 26, dub. 3, n. 14; Amicus, tom. V *De justitia*, disp. 28, sect. 4, n. 30; Marchantius, in *Quæst. pastor.*, part. i, cap. 8, proposit. 10, quæst. 1, cas. 5; Molina *De justitia*, t. II, tract. ii, disp. 317, in fine; Trullench., in *Decalog.*, tom. II, lib. vii, disput. 27, dub. 2, n. 5; Rosignol., *loc. cit.*; n. 7. Rebellus, lib. xii, qu. 3, et alii addentes, nisi consuetudo in tali loco obtinuerit quod collusores non teneantur monere de hujusmodi errore; negant tamen Sanch., *loc. cit.*, dub. 14; Diana, part. vii, tract. 9, resolut. 44; La Croix, lib. iii, part. ii, n. 1084, et alii, qui dicunt quod licitum est non monere adversarium de tali errore, licet ideo perdat; quia ludens tenetur ipse attendere ad suum negotium, et leges ludorum permittunt errores; cum, ut docet Alcozer, *Tract. de ludo* cap. 20, dub. 3, quem videtur sequi Lugo, *loc. cit.*, n. 36; Hurtadus de Mendoza, *De contro.*, disput. 8, difficult. 7. hæc ludi lex sit, ut error proprius noceat erranti, dummodo alter positive non decipiat.

(54. An vero multo magis in arte ludi peritus ludens cum multo minus perito, teneatur ipsi restituere lucrum ab eo reportatum ratione talis suæ majoris peritiæ? Respondendum est cum distinctione; vel ille multo magis peritus nescit collusorem esse ita imperitum; et tunc potest totum lucrum retinere, quia nulla intercessit deceptio. *Communis*, cum Diana, part. vii, tract. 9, resolut. 30; La Croix, *loc. cit.*, n. 1069. Vel talis multo magis peritus scit collusorem esse multo minus peritum; et hic ab ipso vel ab aliis admonitus de illius longe superiore peritiæ, vel aliunde eam sciens, nihilominus vult secum ludere; et tunc etiam tenetur restituere, quia hic in tali casu censetur cedere juri suo, quod habebat ad æqualitatem servandam in ludo. Scienti enim et consentienti non fit injuria, Sanchez in *Opuscul.* tom. I, lib. i, c. 8, dub. 13, n. 7; Diana, part. vii, tract. 9, resolut. 31; Dicastill., *De justit.*, lib. ii, tract. 18, disp. 5, dub. 1, n. 8 et 12. Faustus in *Specul. confessor.*, disput. 32, quæst. 3; Rosignol., *loc. cit.*, § 1, n. 12; La Croix, *loc. cit.*,

et alii; vel tandem talis scit se esse multo magis peritum, et ideo est moraliter certus se lucraturum, et collusor id nescit, et si sciret non esset lusurus, et tunc tenetur restituere, quia in collasoribus debet esse æqualitas spei lucrandi et periculi perdendi; in hoc casu autem ex parte ludentis multo minus periti reipsa spes lucrandi est fere nulla, periculum vero perdendi est prope certum; contra vero ex parte ludentis multo magis periti; adeoque ludus est inæqualis, et consequenter injustus et restitutioni obnoxius. Sic Lugo, *loc. cit.* n. 44, ubi dicit ita tenere Molinam, Lessium, Rebellum, Medinam, Petrum Lesdesmam, Azorium, Emman. et alios omnes communiter. Sic Rosignolus, *loc. cit.* cum aliis apud ipsum; sic cum aliis Sporer, tom. II, tr. 7; in *Complement. VII præcept. Decalog.*, cap. 6, sect. 4, n. 67; ubi appellat hanc sententiam communem et veram. La Croix, *loc. cit.*, ubi appellat communissimam; quamvis Toletus, Covarr., et alii apud ipsum *ibid.* doceant etiam in hoc casu ipsum multo magis peritum nihil teneri restituere, et alii cum Diana, apud eundem *ibid.*, dicant ad summum teneri ad partem majorem, vel minorem pro gravitate, vel levitate periculi quod subiit.

(55. Lusor, qui ludo exponit monetam malam, si habet verum animum substituendi bonam in casu quo perdat, potest licite retinere quod cum ipsa mala lucratur. Si autem non habet verum animum substituendi bonam in casu quo perdat, nullimode lucrari potest ratione inæqualitatis cum collusore. Diana, *loc. cit.*, res. 25; La Croix, *loc. cit.*, n. 1077, et alii passim.

(56. Ludentes ludo legibus prohibito per se loquendo, secluso scandalo et contemptu, aliove malo accidentali, nec peccant, nec si lucentur, tenentur lucrum restituere in foro conscientie ante sententiam iudicis; sic card. de Lugo, tom. II, disp. 31, n. 60, ubi cum plurimis ibi citatis dicit hanc esse communem et veram sententiam. Rosign., *l. cit.* § 8, cum multis ibi citatis; Sporer, *l. cit.* n. 81, ubi dicit, quod sic docet jam communis doctorum, quos citant et sequuntur Molina, disp. 513; Sanchez lib. I *Consil.*, cap. 8, dub. 1; Lessius cap. 26, dub. 3; La Croix, *l. cit.*, n. 1086, ubi dicit quod sic communissime tenent Alens., Sotus, Medin., Covarruv., Molina, Trullench., Dicastill., Sanchez, Less., Dian., Tamburin., Lugo, Sporer et alii contra S. Thomam, S. Bonaventuram, Silvestrum et alios dicentes lucrantem ludo per legem adhuc vigentem prohibito, teneri restituere in foro conscientie. Et ratio nostræ conclusionis est, quia tali ludo ludentes et lucrantes non peccant, nec restituere tenentur de jure naturæ, quia ludus hic de se est contractus justus et licitus, servatis debitis conditionibus. Nec etiam est talis obligatio de jure communi positivo, quia leges humanæ eum ludum, et translationem domini non irritant, sed solum præcipiunt restitutionem faciendam victo petenti in iudicio post sen-

tentiam iudicis; hæc enim sunt præcisa verba *L. Alearum*, cod. *De aleatorib.* ibi: « Nulli liceat in publicis vel privatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in specie; et si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio (scilicet victi ad solvendum); sed solum reddatur, et competentibus actionibus repetatur ab his qui dederint, vel eorum hæredibus, aut his negligentibus, a patre, aut defensoribus illius civitatis; vel recipiat fiscus, non obstante 50 annorum præscriptione. » Unde inferunt doctores quod victor non teneatur restituere pretium solum, seu lucrum ipsi victo repetenti illud extrajudicialiter, sed solum si ipse, vel ejus hæres repetat in iudicio, et sententia a iudice proferatur, ut clare colligitur ex verbis illis, *et competentibus actionibus repetatur.*

(57. Potest tamen victus terrere victorem comminando ei repetitionem lucri seu pretii soluti in iudicio, et sic pacisci cum ipso extrajudicialiter de aliqua parte reddenda, seu restituenda, eo quod juri cedat non repetendo in iudicio. *Communis*, cum citatis doctoribus. (58. Si autem victus solum fiete minetur, non habens animum vere repetendi in iudicio, Salas, dub. 28; Molina, disp. 515; Alloza, sect. 1, n. 9; Lugo, *loc. cit.*, n. 72, dicunt non esse tutum, quia per dolum et fraudem cogeret victorem ad sic transigendum. Sed Lessius, *loc. cit.*; Tamburin., cit. § 1, n. 10; Sporer, *loc. cit.*, n. 81, alique cum Diana, *loc. cit.*, resolut. 18, dicunt esse tutum: quod probabile esse fatentur Sanchez, Castrop., Trullench., Dicastill., et alii, quia revera habet jus repetendi in iudicio quod pretio æstimabile est; et illi juri cedit pro restituta parte cui non cederet, nisi pars restitueretur, adeoque videtur id posse licite facere.

(59. Qui ludo prohibito lusit credito, et perdidit, est in conscientia naturaliter obligatus ad solvendum, quia contractus ille ludi est validus, et legibus humanis non irritatur, adeoque dat jus victori ad lucrum; promissio enim mutua, valida, onerosa et acceptata, debet jus aliquod ex justitia parere, et per consequens obligationem in promittente. Sic tenent Joannes Medina et Castro apud Molinam, disp. 516; Corduba, in *Summ.*, qu. 98; Conradus, qu. 196; Franciscus Garcias, *De contractibus*, part. II, quæst. 19; Azorius, part. III, lib. V, cap. 24, quæst. 7; Sporer, *loc. cit.*, n. 83; La Croix, *loc. cit.*, n. 1087, et alii. Verum tamen potest victus se tueri exceptione legis alearum, ut etiam in conscientia solvere non teneatur, quia illa lex non tantum est lata in pœnam lucrantis tali ludo, sed etiam in favorem victi, ut solvere non teneatur, si petat exceptionem ipsius. Navarr., c. 20, n. 17; Molina disp. 515; Tolet., lib. V, c. 27; Lessius, cap. 26, dub. 4; Layman, cap. 21, n. 3; Lugo, *loc. cit.*, n. 70; Adrianus, Aragonius, Covarr., et alii quos affert Salas, dub. 26, n. 2, qui n. 4 amplectitur hanc sententiam cum Rebello et Valentia, nempe posse victum non solvere,

si petat iudicio ut cassetur promissio. La Croix, *loc. cit.*, num. 1087; Sporer, *loc. cit.*, num. 83, ubi testatur de communi; et ratio est, quia cui jus dat actionem repetendi jam solum, eidem multo magis dat exceptionem, antequam solvat; textu expresso in *l. Invitus* 136. ff. *De regul. juris*, ibi: « Cui damus actionem, eidem et exceptionem competere multo magis quis dixerit, » et c. *Qui ad agendum* 71, *De regul. juris* in 6, ibi: « Qui ad agendum admittitur est ad excipiendum multo magis admittendus. » Jus autem commune dat actionem repetendi jam solum ei qui ludo prohibito perdidit, et jam solvit, c. *l. Alearum*, cod. *De aleatorib.*, adeoque ei multo magis competit actio ad non solvendum, antequam solvat. Ad quid enim in hoc casu esset solvere id quod statim potest repetere? Frustra enim solvitur quod statim repetendum est; *l. Dolo* 8, ff. *De doli mali exceptione*, et capit. *Dolo*, 59 *De regul. jur.* in 6, ibi: « Dolo facit qui petit quod restituere oportet eundem. » Unde cum retinere propriam rem antequam detur, vel ipsam jam datam iterum repetere, reipsa æquivalent, non erit injustitia, ut inquit Tamburin., *loc. cit.*, num. 11; Sporer, *loc. cit.*, n. 83; La Croix, *loc. cit.*, n. 1087, et alii, alterum modum commodiorem absque inutili circulo eligere. Hinc *l. III*, ff. *De compensatione* dicitur « Interest nostra potius non solvere, quam solum repetere. »

(60. An autem qui ludit ludo prohibito cum animo utendi hoc beneficio legis, scilicet non solvendi, vel solum repetendi per sententiam iudicis, si perdat, possit licite retinere lucrum in casu quo lucretur? Molina, Reginald., Dicastill., Lessius cit. cap. 26, n. 31, dicunt, ipsum teneri restituere id quod lucratur, quia talis decipit adversarium falso significans, se illi cessurum esse si vincat, quam deceptionem, si ille sciret, certe non luderet, deinde non ponit æqualitatem requisitam inter ludentes. Sanchez autem, *loc. cit.*, dub. 5, n. 1; Lugo cit. n. 53; Sporer, *loc. cit.*, n. 84; La Croix, *loc. cit.*, n. 1088, et alii cum Diana, *loc. cit.*, resolut. 25, probabilius dicunt ludum esse validum, et dictum ludentem posse licite retinere lucrum, quia intentio adimplendi non est de essentia promissionum vel contractuum, adeoque etiam licet talis non habeat intentionem solvendi pretium, ludus tamen erit validus, et transferet dominium lucri. In reliquo autem utitur suo jure, ex beneficio legis concedentis sibi exceptionem, ne teneatur solvere, vel actionem ad repetendum solum si jam solverit; collusor autem sibi imputet, si ludit tali prohibito ludo qui dat jus suo colludenti, vel non solvendi, vel solum repetendi; neque est inter ipsos inæqualitas, quia etiam alteri competit idem beneficium legis, si perdat.

(61. Quamvis victus antecederet renuntiaverit dicto beneficio legis; scilicet non solvendi, vel solum repetendi, potest ni-

hilominus postea adhuc uti tali beneficio legis; quia omnis ludens promittit irrevocabiliter solvere, et tamen lex vult ut, non obstante promissione solvendi, possit adhuc non solvere, vel solum repetere, cum ipse per talem promissionem non possit vim legis enervare; Sic tenent Rebello, Salas, Lessius, Diana, *loc. cit.*, resolut. 26; Lugo, *loc. cit.*, n. 65; La Croix, *loc. cit.*, num. 1089, et alii. (62. Si tamen renuntiaverit dicto beneficio legis cum juramento, jurando scilicet se non usurum tali beneficio, tunc stare debet juramento quo non potest licite non solvere et licite repetere solum. Si enim id sub juramento promisit, debet observare cum sit omnimode observandum juramentum promissorium de re licita. Molina, disput. 315; La Croix, *loc. cit.*, n. 108; Lugo *loc. cit.*, n. 66; Sporer, *loc. cit.*, n. 83, Lessius, *loc. cit.*, n. 26, et alii quos affert et sequitur Salas, dub. 26, n. 7. (63. Dicunt tamen Navarrus, Covarr., Valentia, Toletus, Vega, Henriquez, Diana, et alii quos refert et sequitur Salas, *loc. cit.*, n. 8, posse petere relaxationem juramenti, et hac obtenta uti dicto beneficio legis; at melius negant Molina, Sotus, Lessius, Rebello cum card. de Lugo, *loc. cit.*, n. 66; La Croix, *loc. cit.*, n. 1089, et alii, quia cum tale juramentum sit de re licita et de solutione quam absque peccato accipere et retinere potest victor, videtur confirmare contractum, et dare jus ex justitia, in ejus præjudicium non potest prælatus relaxationem concedere*. Sed vid. *Addit. Casinenses* sub. v. JURAMENTUM, n. 78 et seq.*

(64. An autem victor possit licite impedire ne a iudice condemnatur ad restitutionem? Omnes communiter docent posse id licite facere, si sine vi vel fraude impediat, v. gr. pure negando se lusisse, donec probetur. Si autem de hoc interrogetur judicialiter a iudice, quamvis Molina, Sanchez, et alii cum Diana, *loc. cit.*, resolut. 27, dicant ipsum non teneri fateri se lusisse tali ludo et lucratum fuisse, si probari non possit; tamen si de hoc interrogetur judicialiter a iudice, Lessius, *loc. cit.*, n. 21; Lugo, *loc. cit.*, n. 64; La Croix, *loc. cit.*, n. 1090, et alii probabilius dicunt teneri fateri, quia lex non est pure pœnalis, sed dispositiva, et iudex habet jus ad interrogandum, cum non agatur de punitione, sed de restitutione a lege concessa.

(65. Quoad sponsionem quæ fuit descripta supra n. 3 adductis ibi n. 4, conditionibus ad ipsam requisitis, cum sit ludo valde affinis, de ipsa est concludendum proportionaliter, sicut hactenus de ludo fuit conclusum; unde hic solum aliqua specialia de sponsione adducuntur. (66. Qui certus est de eventu, vel veritate rei, regulariter loquendo nequit sponsionem inire et inde lucrum accipere. *Communis*. (67. Et ratio est clara; quia qui certus est de eventu et veritate rei, nullo periculo perdendi se exponit, ut se exponit alter, qui, si id sciret, nollet spondere cum ipso, adeo-